

1609 — 1635.

Articuli Generalium Congregationum Regni Croatiae et Slavoniae, ab A. 1609 usque ad 1635 celebratarum, a Rege Ferdinando II. A. 1636 confirmati.

Nos Ferdinandus Secundus, Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniae-que etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Comes Tyrolis et Goritiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis. Quod fidelis noster honorabilis Joannes Somogy, Archidiaconus Camarcensis et Canonicus Zagrabiensis Ecclesiae, Statuum et Ordinum Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavoniae Nuncius, ad nostram Maiestatem Allegatus, nominibus et in Personis eorundem Statuum et Ordinum dictorum Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavoniae exhibuit et praesentauit Nobis infrascriptos Articulos, in diuersis Generalibus eorum Congregationibus et Conventibus, ab anno Millesimo sexcentesimo nono ad annum vsque Millesimum sexcentesimum trigesimum quintum celebratis, communibus ipsorum votis et suffragiis, parique et unanimi consensu conclusos, supplicando idem Nuncius, nominibus et in Personis eorundem Statuum et Ordinum praefatorum Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavoniae, Maiestati nostrarae humillime, ut omnes et singulos eos Articulos, omniaque et singula in eisdem contenta, ratos, gratos et accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis praebentes, Authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare et confirmare, ac tam nos ipsi obseruare, quam per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum, ex reliquis nempe excerptorum, et hisce praesentibus insertorum, tenor talis est.

Articuli Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum Croatiae et Sclavoniae Regnorum, ab Anno Millesimo Sexcentesimo Nono, ad praeteritum vsque Millesimum Sexcentesimum Trigesimum quintum, in diuersis eorum Congregationibus generalibus conclusi.

Articulus I.

Praeterea ijdem Status et Ordines vnanimi voto et consensu priores Articulos, de non admittenda libertate exercitiorum in hoc Regno alienae Religionis confirmant; et si quispiam Praedicatorum haereticorum, siue spontanee, seu ope caiuspia, in hoc Regnum uenerit et zizania seminauerit, Praedicatorem liceat unicuique capere, captumque ad Dominum Banum vel Episcopum Dioecesis deducere. Introductores autem talium, et transgressores huiusmodi conclusionis publicae, puniantur paena in Tripartito contenta.

Articulus II.

Vniversa etiam molendina, in nouis locis erecta, et alia in quibuscumque Comitatibus existencia, quae damnosa comprobari poterint, per Vice-Comites et Judices Nobilium deleantur, conclusum est.